



Continetur in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Augst.
- 2 Schedae Elementorum nos disp. 1. ^{Hofmann}
- 3 Anteodosius brevis de sacro physicoe suu librinis M. Fid. 3 additum
- 4 Disp. de Aer. Octavius tunc psonat tunc officio - Hofmann
- 5 Disp. 1. de Coena Domini. eisdem. accesso Togenay & ministris
- 6 Disp. 1. de Coena Domini. Hofmanni. ^{aduocacionem} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs 281 & voluntatij ipsius, Hofmanni
- 8 De rebus inter fiducia & gratia, an & Consistorium sic
- 9 Leipzig, Tong abf. ~~Ad~~ des Exorcismi
M. Georgij ~~ystanij~~

Geb

Sammelband

30

4
26

PROPOSITIONES
DE
**DEO, ET CHRI-
STI TVM PERSONA
TVM OFFICIO:**

*Afferentes puriorem confessionem, D. Lutheri
feces Scholasticas expurgantis, oppositæ Pon-
tificiis & omnibus cauponantibus
verbum Dei.*

DE QVIBVS
AVSPICE CHRISTO IESV

Præside
DANIELE HOFMANNO S. TH.
Doctore & Professore

Respondebit
M. CASPARVS PFAFRADIVS
Montensis Prof. Th.

*pro impetrando gradu Doctoris in
Theologia,
in Academia Iulia mense Februario.*

HELMAESTADII
Excudebant hæredes Iacobi Lucij, Anno
M. D. XCVIII.



VBIQVITAS CORPORIS CHRI-
STI PER LIBRVM CONCORDIAE
non fuit recepta.

*Electorales enim Theologi, D. Kirchnerus Pa-
latinus, D. Selneccerus Saxo, & D. Chemnicius Brandebur-
gicus ita scripserunt ad Theologos VVitebergenses pro VVite-
bergensium ubiquitate intercedentes Anno 1582. 9. Iunij.*



N gratiam aliorum ut scitis, dogma genera-
lis ubiquitatis in omnibus creaturis haec-
tenuis nunquam recepimus, nunquam simpli-
citer & indistincte probauimus. Multò mi-
nus hoc ipsum dogma à cæteris Ecclesijs o-
mnibus, quæ libro concordiae subscripse-
runt, approbatum est. Item: Licet ex Lutheri confessione
quædam inserta sint libro concordiae, nequaquam tamen eo
consilio hoc factum est, ut periculosa illius disputationis de
generali ubiquitate in omnibus creaturis, lignis, lapidi-
bus &c patrocinium susciperemus. Item: Nostrum omnisq;
Christiani est acquiescere in illis, de quibus expressa verba
Scripturæ habemus.

Vniuersalis illa particula non hoc statim ponit: omnia
implet. Est igitur præsens cum carne sua in omnibus herbis,
lapidibus &c. Loquitur enim ibi Apostolus de regno Chri-
sti coelesti, de Ecclesiæ & totius orbis gubernatione, & non
in specie de generali in omnibus etiam brutis creaturis abs-
que ullo discrimine præsentia vel ubiquitate.

Item: possumus præsentiam corporis Christi in Sacra
Cœna nihil minus tueri ac retinere, quæ propriè loquendo
non innititur vñioni hypostaticæ indissolubili, sessioni ad
dextram, & impletioni omnium, de qua Apostolus Eph. 1.
& 4.scribit, sed verbis institutionis Christi.

Integrali Epistolam cum pluribus similibus D E O volen-
te alias edemus.

DECANVS COLLEGII THEOLO-
GICI DANIEL HOFMAN THEOLO-
giæ D. & Professor lectu-
ris S.

I quis historiam Ecclesiæ ab initio usque
adhæc tempora retexuerit, animaduer-
tet, ei post Satanam senviorem hostem
nunquam fuisse ratione \mathcal{E} sapientia
carnis in doctrina fidei dominatum affe-
ctante, cuius violentia etiam corporalium Tyranno-
rum immanitatem superat, cum animas ipsas vehe-
mentissime excruciet, \mathcal{E} à vera Dei agnitione vali-
dissime auellat. Quantò verò magis excolitur ratio
humana philosophicis studiis, tantò armatior prodit, \mathcal{E}
quò seipsam amat impensis, eò Theologiam inuadit
atrocius, \mathcal{E} errores pingit speciosius. Vnde Paulus
ad Coloss. 2. Philosophiā deprædantem discipulos Apo-
stolorum agnouit, \mathcal{E} ad Gal. 5. inter opera carnis reie-
cit hæreses, quod primitua Ecclesia per experientiam
edocta sic explicauit: Philosophos esse hæretorum pa-
triarchas. Vis autem sapientia humana in tentatio-
nibus piorum sentitur grauius, cum non sint aciores
tentationes quam cum caro semper aduersus spiritum

A 2 con-

concupiscentia subtilioribus suis spiculis infestat animas,
qua *Apostolus* ignita tela ^{τὰ μνήση} appellat *Eph.* 6. Et
scutofidei extinguere iubet. Cum verò hodie circum-
ferimus oculos in orbe Christiano, statim eiusinde
miseriorem cognoscimus, quod multi Theologorum ad
sapientiam carnis sublimes articulos fidei renunciant,
Et insuetudinem assuefaciunt ad disputationes quibus
ad Philosophia & calculos exigitur sensus sacrarum lite-
rarum. Necessarium igitur duximus, ut cum Professor
Theologiae Publicus M. C A S P A R V S
P F A F R A D I V S, qui Philosophia & disputationum
exercitiis priuatis multos labores impendit,
producendus esset, quo pro gradu Doctoris Theologiae
imperando examini publico sisteretur, eum talem pro-
bandum offerremus, qui rationis humanæ in rebus fidei
^{πλυπειαγμοσύνη} compescere nosset. Quod enim auditori-
bus nostris sedulò inculcauimus, Lutheri Theologiam
ideo esse puriorem, quod ille ad expurgandum fermentum
Scholasticorum diuinitus excitatus Philosophiam
ab iis, quæ sunt Spiritus Dei longè propulsauit, nihilque
fidei Christianæ commodum duxit, nisi quod ex limpi-
dis fontibus Israëlis haustum quanto ingratius carni-
tantò magis Spiritui saperet: Hoc Dominus P F A F-
R A D I V S per annos aliquot magna diligentia exa-
mina-

minauit, & deprehendit sanctius. Quia vero Jesuita Scholasticorum Doctorum via incedunt, hos ut primarios adulteratores Theologiae primò adoriri voluimus, iisq; subiungere Calvinianos, & ex his quidem illos nominatim qui diluendi merum Christianum peculiare artificium hodie affectant, & suspensa hedera iuuentutem ad suas & aliorum cauponantium tabernas solicite inuitant. Patronos ubiquitatis, licet ex academ cisterna, quam videlicet ratio fudit, hauriant, indeque mysteriorum doctrinam rigent, certis tamen de causis mollius tangere voluimus, maxime cum sperremus eos communium aduersariorum, damnis tandem cautiores futuros. Quamuis etiam quidam superiore & state mense Maio disputatione publica de regno Christi instituta ex professo & nominatim confessioni inferioris Saxoniae huius Scholae symbolo vim inferret intolerabilem, nostroq; corpori doctrinae crimen defectionis impingeret crudelius, post quælecta mense Julio nostrashasce theses conscribebamus, adhuc tamen parcere nomini ipsius, & de ubiquitate corporis Christi ita differere nobis placuit, ut tum Jesuitarum, tum Calvinianorum in dogmate illo refellendo σφάλμata notaremus liberius, & sic paucis παλαχώσια declinantes, emolliendo animo istius hominis operam daremus.

A 3 Quan-



Quanto verò cum impetu confidentia & indignatio-
nis paulò post ad corrumpenda nostra symbola, librum
videlicet concordia & confessionem inferioris Saxoniae,
& corpus doctrinae Julium, etiam Germanicis scriptis
in publicum profilire ausus fuerit, quomodoq; perlatus
noscum Ecclesiarum Saxoniarum communem do-
ctrinam hostili animo & calamo infestet, illud scriptis
eius & sociorum toti Germaniae nunc innotuit, ut me-
rito castigari posset seuerius, maxime cum consensum
colloquij Quedlinburgensis de necessitate hypothesis,
hoc est specialis notationis & nominationis autorum
corruptelarum impotentius scindat. Relinquimus ta-
men has theses in statu moderationis, quā conscripta
& tum hīc tum in aula approbatæ sunt, neq; verbum
illis adiçere ullum voluimus, ut sint publicum testimo-
nium, quām constanter toleranti & & modestiæ eousq;
studuerimus. Ne tamen aduersarij nostri opinentur
nos modestiæ studio prodere, quod metuamus causæ no-
stræ, ideoq; coram facie illorum comparere non audere
duntaxat consilium seruatæ moderationis hūc ascribe-
re debuimus, reseruatis ceterisq; pleniori Apologia, de
qua cum aliis, ut par est, prius deliberabimus. De illis
igitur tantum nunc respondebimus, quæ in his thesibus
sincerorum Theologorum calculo iam pridem definita
sunt,



sunt, in quibus Lector ipse iudicabit, quid ad nos
aduersarios pertineat, id quod paucis monendum fuit,
ne hastam & scutum abiecisse videremur. Quia ve-
rò in disputatione de Regno Christi thesi 327. & 329.
perspicue affirmatur, quod autor docens: Christum
sua humanitate adesse omnibus creaturis, velit id in-
telligi, de ipsamet humanæ naturæ & soia substantia &
essentia, & sic adhibeat particulas hasce (substan-
tialiter quoad substantiam) hoc profectò sensu, ut in
Cœna Domini, & in præsentia respectu Ecclesiæ de-
scripta: cohortamur ingeniosos logicos ut coram nobis
experiantur, num Syllogismo necessitatem consequen-
tiæ tuente, & vitium quaternitatis terminorum illa
deflexione declinante, ex personali unione vel sessione
ad dextram Dei Conclusionem illam directè elicere
queant.

In ea verò sumus sententia, quod h̄c impossibi-
le tentaturus sit etiam acutissimus Logicus. Cūm
verò huiusmodi ratiocinationibus tanta lis, etiam con-
tra prohibiciones Principum cœlum & terram incla-
mando & commouendo committatur, intelligent o-
mnes cordati quanta cum iniquitate dominetur & loy &
ubiquitas. Dominus Jesus misereatur nostri & dile-
cto po-

lectæ posteritatis, repressisque istis aduersariis deside-
ratissimam tranquillitatem reducat. V. O. P. P.
Helmstedij die 17. Ianuarij, Anno 1598. quo Dei
admiranda benedictione post multos labores & affli-
ctiones ingredior annum etatis 59. quem ut Deo
& Ecclesie consecrem Immanuel
autor seculi faxit
Amen.



DE

DE SEQVENTIBVS THESIBVS

Respondebit
M. CASPARVS PFAFFRADIVS,
asserturus veram doctrinam
DE DEO ET CHRISTO.

I.

VM nunc prodire debeamus parati ad respondendum cuilibet petenti rationem eius spei quæ in nobis est I. Pet. 3. ver. 15. neq; homo Iohanne Baptista in utero sanctificato & donato spiritu Eliæ de se & alijs omnibus testificante quicquam sibi sumere possit Ioh. 3. ver. 27. auferant autem necessaria qui in nomine Iesu Christi patrem rogant Matt. 7. ver. 7. Ioh. 16. vers. 23. quod non nisi per Spiritum sanctum fieri potest I. Cor. 13. ver. 3. ante omnia ut veri adoratores Ioh. 4. ver. 23. Spiritu gratiæ & precum Ioh. 12. ver. 10. à Deo omnis gratiæ I. Pet. 5. vers. 10. gratiam Domini nostri Iesu Christi nobis & omnibus congregatis precemur 2. Cor. 13. versu postremo.

2. Quandoquidem etiam confessionis nostræ per gratiam Dei edendæ scopus fuerit laus gloriosæ gratiæ Dei, qua nos gratis effecit sibi gratos in dilecto Eph. 1. ver. 6. ne expertes reddamur istius gratiæ, semper infonet auribus nostris vox Domini: Ad legem & ad testimonium, quod

B

si non

si non dixerint iuxta verbum hoc , non erit eis matutina
lux. Esaiæ 8.ver.20.

3. Apparuit autem gratia Dei salutifera omnibus ho-
minibus, ad Tit. 2.ver.11. apparente bonitate & φιλανθρω-
πίᾳ saluatoris nostri Dei Tit. 3.ver.4. qui cùm sit imago
Dei inconspicui Col.1.ver.15. & character substantiæ pa-
tris Heb.1.ver.3. & in se iussit contueri patrem Ioh.14.ver.
9. & se non reuelante patrem ignotum mansurum dixit
Matth.11.ver.27.

4. Quia etiam sanctè dicitur , quod Deus conspicuus
factus sit in carne 1. Timoth. 3.v.16. ad filium incarnatum
merito remittūtur, qui Deum rectè cognoscere debeant.

5. In primo exordio incarnationis illustris patefactio
Dei, qui sit Pater Filius & Spiritus sanctus edita est, Pa-
tre mittente angelum vt annunciet Filium suum super-
uentu Spiritus sancti ex virgine nasciturum Luc.1. Cumq;
is iniciatur ad ministerium Filio incarnato incubat Spir-
itus sanctus visibili specie columbæ, & pater de cœlo cla-
mat: Hic est filius meus dilectus Matth.3. qui docuit se &
Patrem & Spiritum sanctum vnum esse Ioh.10.ver.30. &
cap.16.ver.15. tandemq; ascensurus in cœlum iussit disci-
pulos baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus san-
cti Matth.28.

6. Credimus igitur tres esse qui testificantur in cœlo,
Patrem, Verbum & Spiritum sanctum , & hos tres vnum
esse 1. Ioh.5.ver.7. Vnus enim Iehoua Deut. 6. ver. 4. sed
plures Μόνον facies περσωπη Deut.5.ver.7. Cumq; non plu-
res personæ in veteri quām in nouo Testamento appella-
tæ reperiantur , & quidem hæ ipsæ appellationes Pater,
Filius & Spiritus sanctus , utrobiique legantur , perpetuo
consensu Sanctorum fruitur , qui hanc fidem tuetur.

7. Hæc qui verè credit , & sincerè confitetur , is Deo
debet

debet gratias ob gratiam Dei, quæ data est ipsi in Christo Iesu, quoniam in ipso ditamur tum omni cognitione huiusmodi, tum omni facultate loquendi 1. Cor. 1. v.4. & 5.

8. Apostolus Paulus secundum gratiam Dei, quæ data fuit ipsi, peritus fuit architectus ponendi fundamentum 1. Cor. 3. ver.10. quo aliud non potest poni, quodq; est Iesus Christus ver.11. Et qui sperant in ipso, laudi sunt gloriæ Dei Eph. 1. ver.12. quæ est laus gloriose gratiæ ipsius ver.6.

9. Magnum igitur est pietatis mysterium, non solum quod Deus conspicuus factus est in carne, sed etiam quod prædicato gentibus fides habita est in mundo 1. Timot. 3. ver.16. Estq; de mysterijs, quæ non sunt sapientia seculi huius, neque principum seculi huius 1. Cor. 2. ver. 6. & 7. non loquendum ēι διδακτοῖς αἰθρωπίης οὐφίας λόγοις, ἀλλ' ēι διδακτοῖς τῷ πνεύματι θείᾳ ver.13.

10. Hoc vero gloriose gratiæ Dei detrahunt qui Philosophiæ arrogant eadem, & committunt peccatum gravissimum, quod Spiritus sanctus rapinæ crimen appellat Ezech. 22. ver. 25. quo non discernitur inter sanctum & prophanum ver.26.

11. Ad normam huius diuini iudicij respexit Apostolus cum Col. 2. scripsit: Videte, ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum secundum, elementa mundi, & non secundum Christum.

12. Vtiique largimur, quod, qui philosophiam sua ritè tractantem, suisq; limitibus contentam, omni laude spoliat, & usum eius simpliciter reprobat, is decus generis humani, & commoda vitæ communis, beneficia videlicet creatoris & cōseruatoris mundi calumniosè infestet.

13. Hoc tamen assenseremus non dubitamus, in rebus sacris

mysticis ipsam philosophiam secundum sua principia aliás laudatissima prædaticem esse, id quod oppositio elementorum mundi & Christi palam arguit.

14. Prolixè hoc probabimus opponentibus, multis ex locis Scripturæ, quos interim ad cap. 1. & 2. prioris Cor. attendere iubemus, vbi plura argumenta sententiae congesta extant.

15. Dominus Lutherus tum eruditè tum piè scripsit: Sorbona mater errorum pessimè definiuit, idem esse verum in philosophia & Theologia, impieq; damnauit eos qui contrarium disputauerint. Nam hac sententia abominabilis docuit captiuare articulos fidei, sub iudiciū rationis humanæ. Hoc erat aliud nihil quam cœlum & terram includere in suo centro aut grano milij. Cùm contrà Paulus 2. Cor. 10. ver. 5. doceat, captiuandnm esse omnem intellectum ($\pi\alpha\mu\tau\alpha\tau\omega\mu\alpha$) haud dubiè & philosophiam in obsequium Christi. Hæc scitè & sanctè Lutherus.

16. Sophistam agit, contrarium sentiens, iudice doctrina de Sophisticis Elenchis, qui hoc ipsum reprehendunt, quod propria rei deseruntur & aliena requiruntur, licet speciosissimè id fiat.

17. Quomodo igitur eruditionis laudem sibi vendicare vel tueri possunt, qui vel Lutheri iudicio subscribere verentur, vel ruditatis eum ob idipsum insimulant? Et quantum isti absunt à pietate?

18. Constat istud graue Lutheri iudicium contra Sacramentarios philosophos, qui Calvinismo Theologicè pudefacto & exploso, Logicè palliato & reducto, applausum in Scholis conciliare conantur, contendentes, quod enunciations mysticas seu inusitatas, oporteat per tropum reduci ad Logicas.

19. Nec declinat iudicium istud Epicureus argutator,
quod

quod inusitatam prædicationem, oporteat esse ἀλογον nisi sit λογική: Nam Logica non est omnis nec summa sapientia, ut quæ se illi non attemperet, sit ἀλογη & bruta, sed alia est sapientia huius seculi, principumque huius seculi qui abolentur 1. Cor. 2. ver. 6. cui competit λόγος quem docet sapientia humana ver. 13. alia verò sapientia DEI latens in mysterio v. 7. cui competit λόγος Spiritus v. 13. ista, illis qui pereunt stultitia est 1. Cor. 1. ver. 18. vocatis autem filijs Dei sapientia ver. 24. Cum altera iudicio Dei non solum infatuetur ver. 20. sed etiam aboleatur ver. 19. Hinc Luciano isti respondet Lutherus: Qui sine periculo volet philosophari in Aristotele, necesse est ut ante benè stultificetur in Christo.

20. Tenemus itaq; rursus, quod Lutherus concludit inquiens: Recte ergo fecerimus, si dialectica seu philosophia in sua sphæra relictis, discamus loqui nouis linguis in regno fidei, extra omnem sphæram. Alioqui futurum est, vt vinum nouum in veteres veteres immittamus, & vtrumque perdamus, vt Sorbona fecit.

21. Scripsit Petrus de Aliaco, non posse de Deo quicquam cognosci sine speciali adiutorio gratiæ. Hunc reprehendit Bellarminus lib. 4. de Gratia & lib. arb. cap. 2. simulq; irascitur D. Heshusio, quod Romani Catechismi sententiam inter errores retulerit: Lumine videlicet naturali agnoscere posse Deum esse & unum esse.

22. Atqui Aliacus de fide Theologica agens, & Heshusius eandem à Lumine naturæ non accendi statuens, perperam reprehenduntur.

23. Andradius in concilio Tridentino concessum factetur, ut opinari quis possit, philosophos, qui secundum rectam rationem vixerint Christianos fuisse, & Græcos per suam philosophiam iustificatos esse. Contra Paulus

Rom. i. ver. 21. vani facti sunt in ratiocinationibus suis 1.
Cor. i. ver. 21. Postquam in Dei sapientia mundus non co-
gnouit Deum ex sapientia, placuit Deo per stultam præ-
dicationem saluos facere credentes.

24. Et tamen istam Andradij impietatem licentiâ Tri-
dentinâ imitatur Bellarminus, & pro Catechismo Roma-
no producit, itaque prodit, quo animo sententiam illam
allegârit lib. 1. de Christo cap. 3.

25. Quod talis audacia deprædandi per philosophiam
gratiæ Dei inimica sit, & suprà ostendimus, & hic euen-
tus experientia euincimus, quod cū tali hypothesi (quam
Augustinus putabat Pelagium initio non recepturum)
vetus Pelagianismus & interpolatus apud Pontificios sit
superstructus.

26. Abusu Philosophiæ Pontificij omnem veritatem
doctrinæ de Deo corrumpunt. Scotus lib. 1. sen. dist. 3. cen-
set nomina communia Deo & creaturis dici de Deo & il-
lis vniuocè. Thomas autem 1. parte summæ q. 13. art. 5.
neque vniuocè ea nomina de Deo & creaturis prædicari,
neq; purè æquiuocè, sed analogicè secundùm analogiam
proportionis vnius ad alterum, docet.

27. Neutra sententia vera est, cum non solum Deus &
creaturæ non sint eiusdem naturæ & essentiæ, vt nomini-
bus vniuocè communicent, sed etiam inter finitum & in-
finitum proportio vanè fingatur.

28. Nos Patrum dicta sequimur, quæ Gregorius de Va-
lentia ad citatum articulum Thomæ adiecit, quorum sen-
sus est: Quod propria Dei nomina sint incommunicabi-
lia creaturis, & si quid de creaturis propriè dicatur meta-
phoricè Deo tribuatur.

29. Confirmant illa hæc testimonia sacra Esaiæ 42. v.
g. Ego Iehouah & hoc est nomen meum. Gloriam meam
alteri

alteri non dabo. Et Paulus præter vnum verum Deum multos esse nuncupatiuos (λεγόμενος) Deos 1. Cor. 8. ver. 5. fatetur, qui tamen natura non sint Dij Gal. 4. ver. 8. Vbi memorabile est, quod addit: seruientes huiusmodi Dijs ignorare verum Deum.

30. Gregorius de Valentia defendit Thomam, vt & Caietanus, sed rectius illi scholastici, qui Dionysium sequuntur, dum omnia in Deo supereminentissima venerantur, vnde nomen creaturis attributum in communione istius sublimitatis recipere, nedum superius facere, verentur.

31. Scripturâ sanctâ magistrâ id nobis certius est. Quia enim Deum verum Altissimum frequenter appellat, vt cum supra omnes creature infinitè elatum prædicat, & quidem Psal. 83. eum solum altissimum dicit, sæpè etiam David in Psalmis inuocationem ad nomen Altissimi dirigit, ne præter nomen veri Dei aliud cogitet. Hoc nomen si esset, vt Thomæ latior significatio pollicetur, Deus Davidis non fuisset verus, sed aliquid illum Altissimum excellens, in cuius communionem non solum sanctos angelos & homines, sed etiam per analogiam dæmonia venire aiunt, cum Dij appellantur. Id verò nobis certè horrendum auditu est.

32. His portentis opponimus dictum Apostoli 2. Cor. 6. Ne impari iugo copulemini cum infidelibus (Thomas autem cum suis iugum istud impar conatur per analogiam reddere itaq; copulat cum infidelibus) Quæ enim μεταχειρίζεται iustitiæ cum iniuitate? Quæ κοινωνία luci cum tenebris? Quæ συμφώνησις Christi cum Belial?

33. Nec parum sibi met aduersatur Thomas cum parte I. summæ quæst. 3. artic. 5. recte negat Deum esse in genere siue propriè siue reductiuè id fieri dicatur.

34. Co-

34. Cogitur etiam Gregorius de Valentia fateri, quod contrarium (Deum videlicet esse in genere siue propriè siue reductiuè) minus conueniat tum fidei tum rationi, insuper & confessioni Ecclesiæ de simplicitate D E I, & consensui patrum aduersetur.

35. Quapropter illos Scholasticos qui præ Thomistis hīc sapere volunt vt Occam, Gregor. Ariminensem & Gabrielem Biel, Damasceni vanam autoritatem, etiam à Magistro neglectam prætexentes, & hos contra communem affectantem Goclenium, maximè cum contra sobrium modestiam pugnēt, grauius errare minus est dubium.

36. Eodem recidit opinio quorundam ex Damasceno inuenta, quod Deus sit vniuersale, persona particulare. Et quamuis Bellarminus hunc scopulum non nihil refutat, quia tamen non sincerè agit, alluditur tandem ad eum cum lib. i. de Christo cap. 17. scribit: Tametsi Deitas non est quid vniuersale vt humanitas, tamen est in pluribus suppositis, & ideo vim habet vniuersalis. Si verò prius vitandum est, reprobandum est & posterius, cum in receſſu idem largiatur hæreticis.

37. Perperam etiam iudicat Iesuita, isto modo nouis Arrianis occurri posse, cùm omnis recursus ad rationem humanam in hoc articulo, deprauet genuinam sententiam scripturæ, & Arrianis alijsq; hæreticis in eodem luto hærentibus, partim se excusandi, partim nostram confessionem ex concessis exagitandi argumenta suppeditet, & hoc veteribus orthodoxis impingat crimen, quod ob λογικαὶ sciderint Ecclesiam, & dissentientes iniquè hæreticos proclamarint.

38. Scribit Andreas Vega celebris interpres impij concilij Tridentini lib. 8. de iustif. cap. 11. hoc semper fuisse inter alia munus scholasticorum Doctorum, ea conciliare

liare quæ in speciem secum pugnare videntur. Hoc sanè candoris est in apparentibus antilogijs, verum in datis exemplis & similibus, vbi verè fundamentum fidei conuellitur, studium illud improbum ducimus.

39. Bellarminus duplicem Gentilibus tribuit opinionem, vnam vulgo quod Deus unus sit specie, alteram philosophis quod Deus sit unus numero. Neq; illis obstamus qui per unum numero unitatem generis aut speciei redargunt. Lutherum tamen excludentem hic omnem creaturæ cogitationem (*πᾶν τὸν γάλα* 2. Cor. 10. vers. 5.) & statuentem quod unitas Dei magis una sit quam ullius creaturæ, etiam mathematica unitas, tum opponimus sapientibus, cum unum numero, hoc est, philosophicum *γάλα* exacte unitati Dei correspondete contendunt.

40. Consonat Luthero Basilius Magnus, qui exempla 141. ad Cæsarium iubet omnem numerum ab essentia Dei reiwcere.

41. Alexander Halensis, Sorbonæ iudicio irrefragabilis Doctor ex lib. 2. Bernhardi ad Eugenium citat, explicat & probat hanc doctrinam: Inter omnia quæ recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis. Nempe in omnibus creator creaturam excedit in infinitum. Ideo sicut in bonitate, potestate & sapientia, ita in unitate & simplicitate creator eminet omnibus incomparabiliter & penitus infinitè. Hæc iste insignis scholasticus.

41. Vetus versio Psal. 149. habet: Magnitudinis Domini non est finis LXX. *εἰς τὸν πέμπτον*. Bellarminus autem sic citat: Magnitudinis eius non est numerus (Psal. 147. vers. 5. Sapientiae Ichouæ non est numerus. Conuenit Hebraeo & septuaginta.) Nec tamen erubescit ex eo quod Deus infinitus sit in essentia, potentia, sapientia concludere, Deum unum esse numero. Hebraicè in Psal.

45. negatur inuestigatio magnitudinis Dei , sicut scrutatio sapientiae Dei. Esaiæ 40. vers. 28. & Iobi 11. vers. 7. Num in inuestigatione Deum inuenies? Recte igitur Spiritus sanctus collineat ad nostrum scopum, quod definitio unitatis Dei sit imperuestigabilis, itaq; αφιλότατος. Si quis verò hic sumperferit sibi philosophicam definitiōnem, is probare debet se in inuestigatione abyssi ambulasse Iobi 38. vers. 16.

43. Sed satis exemplorum, quibus thesin probamus, scholasticos philosophando omnem veritatem doctrinæ de Deo adulterare, id quod consideratione disputacionum de essentia & personis multis probari posset, si opus esset, vt Bellarminus falsò hoc neget, (non esse maiorem philosophiam scholasticis dissertationibus de essentia, hypostasi, relationibus) lib. 1. de Christo cap. 14. Vbi etiam dictum ad Col. 2. vers. 8. inficiatur tangere scholasticos doctores, quia tum nondum fuerint, quasi verò scortatores & adulteri qui nunc sunt, sexto præcepto non tangantur, & ætates similiter peccantium leges diuinæ non relinquant easdem?

44. Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 3. nititur rationibus probare Deum esse vnum numero. lib. 2. cap. 3. ex Anteprædicamentis Aristotelis declarat ὅμοιοι & οὐσίαι, vt euadat ὁμοιότητον vnum in essentia distinctum in personis. Lib. 2. cap. 6. distinctionem personarum argumento demonstratio docere conatur, vtens hac maxima (producere exigit rem iam esse quæ producit, produci autem exigit rem non esse antequam producatur) quâ nihil proprius Arrianismo cogitari potest. Lib. eodem cap. 15. litteram scholarum, num subsistentia diuina numeretur nec ne, sic componi putat, vt dicatur: Subsistentiam diuinam partim vnam partim multas esse. Hoc est utriq; parti

liti-

litigantium assentari. cap. 18. cum dicitur : Hæc essentia est pater : fatetur quidè Bellarminus quod essentia Dei sit singularis, sed in data propositione (hæc essentia) habeat se per modū termini communis &c. Hæc certè sunt philosophica & ab intelligentia fidei aliena , suoq; sensu hæreticorum erroribus cognata.

45. De persona verò Christi & duabus in ea naturis videatur quid philosophetur Iesuita. Lib. 3. cap. 8. vniri hypostaticè Deum & hominem nihil aliud esse dicit , quam naturam humanam non habere propriam subsistenciam , sed assumptam esse à verbo æterno ad ipsam verbi subsistentiam. Hic si excludit, quod de ipsarum naturarum in persona τὸ λόγον & vniōne aliás docet, & quod tota Deitas in vna personarum incarnata sit, vt loquitur ex Dionysio Damascenus: reprobat tum errat, de quo censuram D. Chemnitij contra theses Amelungi hic repetitam volumus.

46. Quod alius docet *κοινωνίαν* naturarum ex vniōne hypostatica effluxisse, & hanc *κοινωνίαν* esse effectum vniōnis, vt iam homo sit & dicatur Deus , hoc nouum & periculosum est.

47. Nos retinemus confessionem harum Ecclesiarum repetitam in Formula concordiæ , quod ad constitucionem personæ, quæ sit Deus & homo ex vniōne personali, duarum naturarum *κοινωνία* referenda sit. Ne si hæc *κοινωνία* effectum sit vniōnis , hæc præter illam constituta cogitur ; sed decet causam citra effectum integrum esse, quod negatum à Samosateno reprehendit Form. concordiæ.

48. Eodem lib. Bellarm. cap. 19. communicationem idiomatum non de re, sed de modo loquendi intelligit, itaq; verbalem statuit , quod vt in Sacramentarijs ita & in hoc Iesuita culpandum ducimus.

49. Magister lib. 3. dist. 22. grauissimè errat, docens quod Christus non vbiq; sit homo: quia non vbiq; homini unius sit, sed vbiq; est secundum hominem, ibi sit homo.

50. Neq; ferri potest Bellarmini decisio, et si à consensu scholasticorum suspendatur, qua tradit falsum esse, Christum vbiq; esse hominem, si significet Christum in omni loco secum habere præsentem humanitatem lib. 3. de Christo cap. 19.

51. Hæc enim præcipua de hac quæstione thesis fuit, quam Dominus Lutherus contra Sacramentarios reiecit, qui ex scholis pontificijs hauserant opinionem, Christum non vbiq; habere secum præsentem humanitatem.

52. Mctuit Bellarminus ne concessâ istâ sententiâ necessitate sit concedi ubiquitatem humanitatis seu corporis Christi, quo metu multum confirmat patronos ubiquitatis, cum certum sit, quod $\lambda\delta\gamma\circ$ nullibi sit, nisi incarnatus, ut qui non deponat, quod assumpsit, sed semel factus & dictus Immanuel, propter unionem cum nostra natura, semper maneat & laudandus sit Immanuel. Ac sicut ex hoc nomine citra opus mali Spiritus soluentis Christum i Ioh. 4. v. 3. nemo tollet particulam copulationis, ita sine eodem crimen ex hac phrasî ($\lambda\delta\gamma\circ$. vbique secum habet humanitatem assumptam) particula (secum) quæ nihil aliud quam unionis hypostaticæ unitissimam præsentiam denotat, tolli non potest.

53. Expendatur etiam ratiocinatio verè concludens: Christus vbiq; est Immanuel. Ergo vbiq; habet suam carnem secum & sibi unitam & sic sibi præsentem. Malè autem infertur. Ergo Christus vbiq; carnem suam habet cum omnibus creaturis & his unitam, & sic ipsum præsentem. Certè non hoc, sed prius concludi oportet, nisi consequēs aliam parere debeat præsentiam, quam antecedens largiatur.

54. Me-

54. Metus igitur Bellarmini vanus est, & hoc prodit, quod licet impotenter criminetur Lutherum, eumque Schuenckfeldio comparat, imò hunc Lutheranum vocet, qui tamen ipse nunquam membrum esse voluit Lutheranæ Ecclesiæ, nondum tamen quid falsum sit discernere didicerit, ideoque ut à Calvinianis peruersè hoc dogma tractantibus, ita à Iesuitis, vt & ipsis imperitis censoribus, nos sciungimus, quoties assertionem Vbiquitatis corporis Christi declinamus.

55. Nisi etiam primarij assertores vbiquitatis illius à propria confessione recesserint, magna ex parte hic debellatum fuerit, cùm publicè prostet scriptum, liberalissimè concedens, quod præsentia humanitatis in λόγῳ ponatur extra respectum omnium creaturarum.

56. Extorsit autem hanc concessionem Ecclesiarum nostrarum confessio, quam cum Dominus Chemnitius in eo vrgeret, quod vnitissima præsentia humanitatis assumpta in & cum λόγῳ, toto genere differret ab omnipræsencia, senserunt dissentientium conscientiæ vim scientiæ, quod perperam ex uno alterum necessariò eliceretur, si & quatenus toto genere different sic collata.

57. Quidam etiam scripserunt λόγον cum omnibus creaturis personaliter vnitum esse, ideoq; personali vnioni aliquid adiiciendum esse, quod differentiam specificam constitueret. Iam verò cùm extra controuersiam positum sit, Deum cum nulla creatura personaliter vnitum, præterquam cum assumpta ex virgine humanitate, profectò id non poterit diuulsæ personalis vnionis argumentum præbere, quod ideo definitur differre à personali vnione, vt soli humanæ naturæ ex utero virgineo assumptæ constet illa singularis vnio. Hoc euictum argumentum rogamus probè considerari, vel nobis indicari, cum summa rei

committatur ratiocinationibus, qua necessitate à singuli-
lari ad vniuersale constet processus.

58. Rogamus & hoc ponderari, quomodo illud neces-
sarium probari possit, quod à libera voluntate Dei pen-
deat. Sanctum enim ducimus hoc axioma Lutheri Form.
Conc. & confessionis Saxonicae: Quod Christus corpore
suo adesse possit & adsit ubicunque & quandocunq; &
quomodocunq; se adesse velit, & voluntatem, quæ ratio-
cinando non indagatur, patfecerit.

59. Sed de hac quæstione aliâs volente Deo. Hic tan-
genda fuit, vt à pontificijs nostram doctrinam alienam
ostenderemus, qua ubiquitatis corporis Christi assertio-
nem recusamius.

De officio Mediatoris.

L X.

SAcilega vox est Stapletoni, quod Christus, vt homo,
non ædificauerit Ecclesiam super se. Tanto verò de-
testabilior est oratio, quod Pontificij Petrum Pe-
tram, super quam ædificata sit Ecclesia, Christo, vt
homini, remoto substituant.

61. Praeclara vox est Apostoli 1. Cor. 3. ver. 11. Funda-
mentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod pos-
tum est, quod est Iesus Christus. Et Petrus loquens de Ie-
su lapide facto in caput anguli, Act. 4. ver. 11. Subiicit ver-
su 12. Non est in alio quoquam salus. Nec enim aliud no-
men sub cœlo est datum hominibus, per quod oporteat
nos saluari. Quapropter fides Petri confitens Iesum fi-
lium hominis esse filium Dei viui Matth. 16. ver. 16. petram
de qua ver. 8. agit ostendit vnum Christum eumq; secun-
dum vtramq; naturam.

62. Sententia nostra, quæ est veritas, elucescit tracta-
tione,



tione quæstionis: Num Christus sit Rex, Sacerdos, Medi-
tor & Ecclesiæ suæ caput secundùm vtramq; , vel secun-
dùm alteram tātum siue diuinam siue humanam naturam.

63. Nos constanter confitemur, Christum nobis talem
propositum esse secundùm vtramq; naturam suam, cui fi-
dei præter alios aduersantur scholastici seducti à Magi-
stro lib.3.dist.19. quem sequitur Bellarminus, dum pecu-
liariter intendit in partes Mediatoris, & has, orare, pati,
obedire, satisfacere ait Christum fecisse secundùm for-
mam serui, non secundùm formam Dei.

64. Psalm.2.(qui de Christo Iesu loquitur interprete
Petro Apostolo Act.4.ver.25.) inaugurationem huius re-
gis docet inquiens ver.5. Ego constitui (ordinaui) regem
meum super Zion montem sanctum meum. Idem sic tra-
dit Salomon prou. g.vbi λόγιον Sapientiam Dei, cuius deli-
tiæ sunt versari cum filijs hominum, introducit loquen-
tem ver.23. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis an-
tequam terra fieret (vetus) πέρι τῆς αἰώνος ἐθεμελίωσε με ἡ
αἰρχὴ πέρι τῆς τῆς γῆς ποίησα Septuag.A seculo principatum ha-
bui, à principio ante terram (Pagn.cum multis) Nulla au-
tem est harū interpretationum, quæ à scriptura dissentiat.

65. Præordinatus enim est Christus ante iacta funda-
menta mundi 1. Pet.2. qui D E V S dux fuit Israelitarum
Deut.32.ver.12. cuius Iehouæ pars fuit populus v. 9. quem
custodiuit ut pupillam oculi sui ver.10. Hic Rex Psalm.2.
ver.5. est caput omnis imperij & potestatis Col.2. ver. 10.
Et caput Ecclesiæ Col.1.ver. 18. Ad Eph. 1.ver. 22. Et 4.
ver.15. Estq; hoc vnicum fundamentum positum 1.Cor.3.
ver.11. in quo radicati & superstructi consummamur Col.
2.ver.7. Quis verò sine confusione propriæ conscientiæ
secundùm Christi deitatem ista neganda esse contendet,
maximiè in tanta luce scripturarum?

65. Quan-

66. Quandoquidem etiam Pater de cœlo clamauit:
Hic est filius meus dilectus, ἐνδόξος. Matth. 3.ver.17.
Sapientia autem Dei æterna seu filius ante lapsum pri-
morum parentum in delitijs fuit æterno patri prouer. 8.
ver. 30. cuius delitiæ versari cum filijs hominum ver. 31.
qui est Christus, in quo electi sumus ante iacta fundamen-
ta mundi Eph. 1.ver.4. hæc verò electio fundatur in pro-
posito Dei Rom. 9.ver. 11. quod propositum æternum di-
citur constitutum in Christo domino nostro Eph. 3.v.11.
quod est propositum propitiationis Rom. 3.ver. 25. credi-
mus filium etiam mediatorem ordinatum secundùm Dei-
tatem, sine cuius intercessione primi parentes non fue-
rint recepti.

67. Etsi autem nusquam non custodiendum ducimus
Christum secundùm Deitatem, quo ad essentiam & essen-
tiales proprietates diuinas ab æterno fuisse æterno patri
æqualem, neq; commisso sibi officio ab ista æqualitate re-
cessisse, non tamen hæc fides talem nobis affert necessita-
tem, ut munus intercessionis Christo secundùm Deita-
tem competere negemus

68. Nec si intercessio humilitatis argumentum perpe-
tuum esset, constaret inde essentiæ & essentialium pro-
prietatum diminutio, cum humilitas alterius generis sit,
officij nimirum, & saluisillis detur, exemplo filij descen-
dantis (non secundùm humanitatem, quæ nondum erat,
ne Manichæi simus) sed vt erat æternus λόγος & verus
Deus nondum incarnatus. Is igitur descendit non tum
homo, sed vt homo fieret. Ioh. 3.v.13. explicante symbo-
lo Nicæno. Ipse enim Dominus è cœlo 1. Cor. 15.ver.47.

69. Immó humilitatem officij redemptionis oportet
coniungere cum maiestate iuxta sententiam Leonis serm.
8.de Epiph. Tali auxilio & natura nostra indigebat &
causâ,

causâ, ut reparare genus humanum nec sine maiestate posset humilitas, nec sine humilitate maiestas.

70. Quamvis autem humilitas humanæ naturæ cum maiestate diuina vnta ibi intelligatur, quæ tamen maiestati ipsi tribuitur, ea non destruit maiestatem ipsam, ut etiam Dominus Chemnitius lib. de D. N. pag. 116. consentiente verbo Dei thesi 68. produc̄to & custode orthodoxa Catholica Ecclesia recte scribit: Summa maiestas diuina sine sui diminutione submisit se ad vniōnem cum massa miserae nostræ naturæ.

71. Cȳrillus in Apologetico citat Nysseni sententiam. Quid humilius sub Rege omnium, quam venire in communionem pauperis nostræ naturæ.

72. Toto corde & pleno ore (ut rursus cum Domino Chemnitio loquamur) fatemur, nullam esse proportionem dignitatis Dei ad vniōnem diuinæ & humanæ naturæ, sed agnoscimus & celebramus immensam charitatem & misericordiam Filij Dei, quod ad liberandum suscep̄tus hominem, non horruit virginis uterum. lib. de D. N. pag. 43.

73. Cogitetur quæsumus, quod illa humilitas summæ maiestatis, immensæ misericordiæ filij congruat, quod certè argumentum firmum est, humilitatem illam non derogasse maiestati, sed inter eas benè conuenire, quod in una sede morentur.

74. Quod si igitur intercessionem æternam attenderimus, quam sine destructione fundamenti fidei nemo reijciet, & si illa humilitas esset, tamen eadem indigna non esset maiestas filij, neq; inde pateretur diminutionem in essentia & essentiali proprietate Deitas mediatoris, ut conf. Sax. nos docere iussit L. 4.

75. Quando adoramus propter Dominum Esaiæ 49.
D ver.

ver.7. certè propter illum, vt mediatorem, adoramus. Et
sic ante incarnationem orârunt sancti : Psalm. 43. ver. 11.
Propter nomen tuum Iehoua viuificabis me, propter iu-
stitiam tuam educes de angustia animam meam. Psal. 25.
ver.7. Secundùm misericordiam tuam memento mei tu,
propter bonitatem tuam Iehoua ver. 11. Propter nomen
tuum Iehoua remitte impietatem meam, quoniam multa
est. Psal. 79. ver. 9. Adiuua nos Deus salutis nostræ , pro-
pter gloriam nominis tui , & erue nos & remitte peccata
nostra propter nomen tuum. Daniel. 9. Ita igitur cùm pre-
cati sint sancti , crediderunt quidem in Christum incar-
nandum, sed & intercessionem Filij tum factam credide-
runt, quæ adeò non detrahit maiestati, vt sit nominis, bo-
nitatis, misericordiæ & gloriæ nominis Iehouæ decus, vt
quæ ipsa intercesserit pro orantibus.

76. Hæc nunquam meditatus fuit , qui hac humanæ
opinionis sententia contra nostram confessionem pugnat.
Nemo est mediator sui ipsius. Certè sæpe numero inter
homines dissidentes, vbi non intercedit tertius, generosi
pectoris motus interpellat pro reconciliatione mutua.
Hic verò bonitas & misericordia communis toti Trinita-
ti in Filio, in quo, vt in singulis personis, tota est Deitas,
pro genere humano intercedens, pectus patris mirando
modo commouet.

77. Daniel in ardore precum Noæ & Iobo comparatus
Ezech. 14. ver. 14. & 20. vir ille desideriorum Dan. 10. ver.
19. non dubitauit cap. 9. ver. 19. sic precari: Domine exau-
di, Domine placare, Domine attende & fac , ne moreris,
propter temetipsum Deus mucus. Quia nomen tuum in-
uocatum est super ciuitatem tuam. Hanc orationem car-
punt , qui philosophantur , neminem esse mediatorem
sui ipsius.

78. Ac.

78. Accusamus etiam Bellarminum coram Deo & vniuersa Ecclesia, quod sua disputatione Arianismum stabiliat scribens: Si Filius Dei, cum nondum homo, sed nihil nisi Deus erat, mediator fuit, minor fuit Patre & quidem iuxta sententiam Arianorum.

79. Nos autem Arianismum non verbis solùm, sed in ipso reali suo sensu detestantes, ne quidem humilitate maiestatis diuinæ agnita inæqualitatem Arrianam, neq; æternam intercessionem Filij Dei, quam, qua Deus est, interposuit inter Deum & homines, cum Bellarmino minoritatis, sed in scriptura gloriæ nominis diuini argumentum & pignus agnoscamus, admiramur, prædicamus.

80. Quia verò sic iterum philosophia demolita fuit, ædificium fidei Christianæ & quidem fundamentum eius disiecit, hortamur omnes, ut à talibus philosophationibus abstineant, quibus id, quod supra scopum fecimus, Gratiam nimirum Dei, fidei nostræ interuerti cogitemus. Ipsum enim bonitatem, misericordiam & gloriam Dei, de qua thesi 75. hostiliter impetigt acumen philosophicum.

81. Dictum 1. Tim. 2.v.5. Mediator homo Iesus Christus &c. nō est restrictionis, quasi ad humanitatem solummodo pertineat officium illud, sed quia omnibus hominibus consolationem quærebat, hominem Iesum eius firmamentum statuebat Apostolus, neque potest segregari Deitas cùm proprius Dei Filius traditus sit pro nobis. Rom. 8 v.32. qui χάριτον τῷ Ιησῷ pro omnibus gustauit mortē Heb. 2.ver.9. Et Spiritu æterno semetipsum obtulit Heb. 9.ver.14. Illo testimonio tantopere pressi fuerunt Nestoriani ut pro χάριτι posuerint χάριτον τῷ Ιησῷ.

82. Gregorius de Valentia, vtcunq; Magistrum deserrere vereatur, eiusq; errorem inimicum Christo & gratiæ in Christo depositæ defendat, progressu tamen meditationum

tionum ad nostram fidem inclinat, vbi considerat Filium
Dei Angelum illum, qui eduxit Israelitas ex Aegypto,
secundum explicationem Iudæ ver. 5. fuisse Iesum popu-
lum de terra Aegypti saluantem, verum Deum quia Deut.
32. ver. 12. dicatur: Dominus solus dux eius fuit, quem
Epistola ad Heb. cap. 12. v. 24. nuncupat mediatorem noui
testamenti, qui nondum incarnatus locutus fuerit patri-
bus Dei nomine ver. 25.

83. Certè Deus, qui nondum incarnatus Deus, fuit
Spiritus iustorum consecratorum, & locutus est patribus,
quos saluauit, quæ sunt mediatoris partes, ante & post
incarnationem, non est tantum mediator secundum vnam,
& quidem eam, quæ longè post illa opera existere cœpit,
naturam, sed in primis secundum diuinam naturam.

84. Ingens pondus in eo residet, quod personam Me-
diatoris propter hoc ipsum officium implendum oportuit
esse Deum & hominem, quod negant, qui officium ad v-
nam tantum naturam astringunt.

85. Respondet Bellarminus statim in initio lib. 5. de
Christo, vbi hanc controuersiam ex professo tractat, non
spectari illam mediationem, quatenus personalitas eius
coniunxit nouo & mirabili foedere diuinam & humanam
naturam. Imò cùm vtriusq; naturæ operatione θεοτελε-
σμα Mediationis fieri oporteat, & principaliter ideo duæ
naturæ unitæ sint, substantialis mediatio (vt vocat Iesui-
ta vniōem personalem) eam quæ est per operationem
vtriusq; naturæ, necessitate consequentiæ vendicat.

86. Sophisticatur Bellarminus inquiens. Mediationem
substantialem (seu personalem vniōem) non fieri secun-
dum aliquam naturam, sed secundum personalitatem, quæ
connectit duas naturas. Verum ideo quod duæ naturæ
personaliter vniuntur, & sic persona ad officium Media-
toris

toris perficiendum ordinata est, manifestum est, vtramq; naturam officio illi destinatam esse.

87. Agit vtraq; natura cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est, inquit Chalcedonensis Synodus, atq; hoc de officio, quod incarnatus expleuit, intelligendum est, cum nullum possit appellari apotelesma, ad quod non concurrerit vtraq; natura, distinctè quidem, sed ~~ηπομόνως~~.

88. Capitalis igitur error est hostium gratiæ Dei: ab aliqua parte officij siue Regij siue Sacerdotalis & quidem in Ecclesia alterutram naturam sequestrare.

89. Neq; aliter intelligit hanc phrasin orthodoxa Ecclesia (Christus secundùm vtramq; naturam) quam quod secundùm distinctionem naturarum Synodus Chalcedonensis inquit: Christus verus Deus & verus homo, coessentialis patri secundùm Deitatem, & coessentialis nobis secundùm humanitatem.

90. Idcirco & hoc reprobamus, quod quidam in regno Christi, tum quo ad Ecclesiam, tum quo ad Dominium, super omnes cœraturas, vtramq; naturam Christi postulant, sed ita, ne humana agat quod sibi proprium est, sed ut meræ actiones diuinæ edantur, quod ex illa veritate carnis Christi, quæ à nostra est alia, facile inferri potest.

91. Et hic perijt nobis gratia Dei in Christo, nisi Christus etiam secundùm eam naturam, qua frater noster est & nos caro de carne eius (id quod Form. Conc. vrget pag. 313.) in regno gratiæ nos diligit, nostri misereatur, pro nobis interpellat & quæ sibi sunt propria cum communione quidem, saluâ tamen semper distinctione naturarum, tum secundùm essentias tum secundùm essentiales proprietates, absq; omni exæquatione agat.

92. Cohorrescimus ad orationem Epicuream Cinglij
D 3 in

in Exegesi ad Lutherum Tom. 2. pag. 352. extantem: Quoties Christo tribuitur imperium, nunquam tamen intelligitur humanitas illud habere. Item humanitas nequit regnare. Item pag. 353. corpore Christi nihil opus habemus (post ascensionem) Spiritu omnia rectius gerente, quam possit illa caro. Et alibi ait: Quid ad regnum faciat caro Christi.

93. Hi verò fructus sunt cum in prædicationibus de filio Dei, quas Melanchthon in usitatas vocavit, tropus ponitur, sicut tropo, nimirum Plutarchi allœosi deceptus Cinglius in blasphemam illam orationem abreptus fuit.

94. Tales sunt omnes tropi Rhetorici huc illati per Pezelium, Piscatorem, Goclenium & similes fanaticos Sacramentarios, quos in pertinacia (docilibus enim partit charitas) vna cum fœtu tropico Christianæ fidei hoste, exemplo vehementis sed iusti zeli Lutheri compescendos, & in Ecclesia malignantium censendos statuimus.

95. Neq; probabitur pijs, quod Cinglius dicto Tomo pag. 459. Luthero opponit Scoti, Pici Mirandulani & omnium Scholasticorum disputationes de Ente & essentia, & de essentia & existentia quas dissertationes Arrianis & alijs hæreticis materiam præbere vel superius tradita euincunt.

96. Ad Bellarminum reuertentes, etiam speciosæ huic orationi ipsius errorem subesse, nec constanter inesse personalis vunionis integritatem monemus: principium, quod operabatur opera Mediatoris non fuisse Dei solùm, vel hominis solùm, sed utriusque simul. Principium tamen, quo illa opera à Mediatore fiebant, fuisse naturam humam, non diuinam.

97. Ne-

97. Negatio certè *naturiarum* operationum , propter quam *naturia* naturarum in persona Christi facta creditur , redundant in dissolutionem personæ , sicut effectus planè sublatus tollit causam sibi propriè ordinatam . Quapropter in hoc genere vanum est per principium Quo non ad distinctionem tantum proprietariorum singularium naturarum , sed directè etiam ad remotionem alterius naturæ conductum , eius , inquam , quod iure vniuersalis personalis & destinati finis in communionem venire debebat , saluare principium Quod , ut videlicet hoc sit Deus & homo simul & verè agnoscatur principium Quod , ipseq; mediator Deus incarnatus .

98. Filium ab æterno ordinatum fuisse principium & caput hominibus certum est ex thesi nostra 64. Quod igitur Bellarminus cap. 8. lib. 5. de Christo inquit : A quo quæso filius præfectus fuit caput hominibus ? Nonne à patre ? Igitur patris minister , & quasi vicarius fuit Filius etiam antequam homo esset . Et quid Arriani aliud volebant .

99. Hac thesi finem enumerationi errorum Pontificiorum imponere voluimus , ut tandem conuincantur dubitantes , quod Pontificij Arrianos muniunt . Christum certè , quatenus Deus est , caput & Regem esse Ecclesiæ suæ indubitatum scriptura reddidit . Si verò hæc sententia nihil aliud est , quam Arriana , pessimè fecerint , nam hæreticam proclamantes , & sancta erunt nouorum Arrianorum studia , id reducentium , quod ex scriptura depromptum , Bellarminus nisi de Deo secundario & vicario negat accipi posse .

100. Tot itaq; exemplis edocti caueamus nobis à philoso-

Iosophationibus in mysterijs, quibus dogmata Ecclesiæ
præscribamus, scientes gratiam Dei, hoc est, caput fidei
Christianæ peti, & a nolentibus confringi istis disserta-
tionibus.

101. Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos ad æternam
suam gloriam in Christo Iesu, paulisper afflictos
ipse nos perficiat, stabiliat, roboret,
fundet. 1. Pet. 5.v.13.

*Iehouæ soli gloria
in æternum.*

F I N I S.



Y 1935 ^a



56

Farbkarte #13

B.I.G.



PROPOSITIONES
DE
DEO, ET CHRI-
STI TVM PERSONA
TVM OFFICIO:

*Afferentes puriorem confessionem D. Lutheri
feces Scholasticas expurgantis, oppositæ Pon-
tificiis & omnibus cauponantibus
verbum Dei.*

DE QVIBVS
AVSPICE CHRISTO IESV

Præside
DANIELE HOFMANNO S. TH.
Doctore & Professore

Respondebit
M. CASPARVS PFAFRADIVS
Montensis Prof. Th.

*pro impetrando gradu Doctoris in
Theologia,*

in Academia Iulia mense Februario.

HELMAESTADII
Excudebant hæredes Iacobi Lucij, Anno
M. D. XCVIII.